

† 2. *Argumenta Confirmationis & Refutationis in hoc statu sumuntur*

† 1. *A testimoniis, legibus scilicet, consuetudine & pactis.*

Ut, Lex est, bis de eadem re iudicium fieri non debere. Ergo non debeo iterum ea de re causam dicere.

† 2. *Ab adjunctis circumstantiis, loci, temporis, personarum & rerum.*

Ut, cum excipitur translatione dilatoria, vel de competente foro, vel de iudice suspecto, vel de actore non habente mandatum, aut dubium mandatum habente: de pupillo sine tutore, juniore sine curatore: Vel de longioris temporis mora: Vel de libello inconvenienti & inepto, &c. Sic Sejus accusatus furri excipit, Locum iudicii esse incompetentem, Titium iudicem esse suspectum, non legitimum, Sempronium accusatorem non habere mandatum: petit igitur dilationem longioris moræ & temporis, & loci alterius.

† 3. *A contrario sive remotione & culpa aliena.*

Sic Prætor cuius solius agris grandines pepercerant, accusatur veneficii: opponit ille exceptionem remotionis culpæ alienæ: Factum id esse singulari gubernatione aëris, quæ solius Dei propria, &c. Superest

## CAPUT XV.

† 1. *STATUS JURUDICIALIS, qui oritur ex questione: QUALE SIT FACTUM? jurene, an injuria ut, an Clodius jure à Milone occisus sit, nec ne?*

Dicitur aliàs à Quintiliano *status Qualitatis*, quia hîc quidem de facto constat, sed de ejusdem qualitate queritur, an jure perpetratum sit, nec ne? Græcè dicitur *στάσις τῆς ποιότητος & δικαιολογίας*. Eius species quidam faciunt duas: quarum 1. *στάσις πραγματική*, *negocialis*, cum queritur de re agenda, rectène & honestè fieri possit: ut, an bellum sit gerendum. 2. *στάσις δικαιολογική* sic propriè dicta, cum queritur de factis præteritis: ut an Horatius jure sororena interfecerit?

† 2. *Est-*